Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6806
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



pugnans coram eo. Tu enim domine deus meus reuelasti auriculam seruo tuo: ut edificares ei domum: et idcirco inuenit seruus tuus fiducia: ut oret coram te. Nunc ergo domine tu es deus: et locutus es ad seruum tuum bona beneficia: et cepisti benedicere domui seruo tuo ut sit semper coram te. Tu enim domine benedicente: benedictus erit in perpetuum: xviii

a Factum est autem post hoc ut percutiret dauid philistiim et humiliaret eos et tolleret geth et filias eius de manu philistiim: percutiens moab. et fuerunt moabite serui dauid: offerentes ei munera. eo tpe pugnauit dauid contra adadezer regem soba regionis emath: quando perrexit ut dilataret imperium suum usq; ad flumen euphratem. Cepit ergo dauid mille quadrigas eius: et septem milia equitum ac pugnatores mille viros pedites. Subnudauit quoq; omnes equos curruum exceptis centum quadrigis quas reseruauit sibi. Supuenit autem et syrus damascenus ut auxilium ferret adadezer regi. Sed et hunc percussit dauid pugnantem duo milia virorum. et posuit milites in damasco: ut syria quoq; seruiret sibi et offerret munera. Adiuuitque dominus eum in cunctis ad quecumq; proficiscebatur. Tulit quoq; dauid pharetras aureas quas habebant serui adadezer et attulit eas in hierusalem: nec non de thebat et chun ciuitibus adadezer ceris plurimum: de quo fecit salomon mare aeneum et columnas et vasa aenea. Audiens autem thoi rex emath percussisse videlicet dauid omnem exercitum adadezer regis soba: mittit adoram filium suum ad regem dauid. ut consolaretur eum ob hoc quod pugnasset et expugnasset adadezer. Aduersarius quippe erat thoi adadezer. Sed et omnia vasa aurea et argentea et aenea consecrauit dauid rex domino. cum argento et auro quod tulerat ex uniuersis gentibus: tam de edomitis quam moab et filiis ammon: cum philistiim et amalech. Abysai quoque filius sarue percussit edom in valle salinarum decem et octo milia et constituit in edom presidia. ut seruiret edomitis dauid. Saluauitque dominus dauid in cunctis ad quecumq; perrexerat. Regnauit ergo dauid super uniuersum israel: et faciebat iudicium atq; iustitiam cuncto populo suo. Porro ioab filius sarue erat super exercitum: et ioaphat filius ahiluch a commentarius: Sadoch autem filius ac hitob. et abimelech filius abiathar sacerdotes: et susa scriba. Banaias quoq; filius ioiade super legiones cerethi et felethi. Porro filii dauid primi ad manum regis xviii

a Factum autem ut moreretur naas rex filiorum ammon: et regnauit anon filius eius pro eo. Dixit quoq; dauid. faciam misericordiam cum anon filio naas: quia fecit mihi pater meus gratiam. Misitque dauid nuncios ad consolan